

auctius prodiit, à Clemente I. usque ad Damasum, Anno 366. electum, non authenticas sed apocryphas esse, utpote recepto Codici Canonum Ecclesiæ Romanæ non insertas; indeque à Leone IV. in cap. de Libellis 1. Dist. 20. pro regulis Ecclesiasticis solummodo agnosci Epistolas Sylvestri, Syricii, Innocentii, Zosimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii, & Gregorii junioris. Verùm, quidquid sit de canonibus Isidori, quos defenderunt non pauci, uti videre est apud Joannem Dovat Prænot. Canon. lib. 2. c. 22. num. 8. eosque, licet forsitan pro legitimis Pontificum Constitutionibus haud agnoscantur, nihilominus veneratione dignos censet R. P. Franciscus Pagi in Breviar. Pontif. Roman. tom. 1. pag. 17. §. 6. cum è searentiis & verbis Legum, Canonum antiquorum, & SS. Patrum, qui quartò sæculò floruerunt, si pauca demas, concinnati sint; notari omninò meretur. Epistola Nicolai Papæ, ad Archi-Episcopos & Episcopos Galliæ, prout refertur in cap. si Romanorum 1. Dist. 19. ita scribentis: si ideo non esse Decretales Epistolas præcorum Romanorum. Pontificum admittendas dicunt, quia in Codice Canonum non habeatur adscriptum: ergo nec Sancti Gregorii, nec ullius alterius, qui ante vel post ipsum fuit, est aliquod institutum vel scriptum recipiendum, eo quòd in Codice Canonum non habeatur adscriptum: ergo doctrinam eorum & sanctiones, quæ ab omni lingua venerantur, quia in Codice Cano-

num non habentur scripta, de Cadicibus suis erant &c. & infra: Inter ipsos Canones unus B. Leonis capitulum constat esse permissum, quòd ita omnia Decretalia constituta Sedis Apostolicæ custodiri mandantur, ut, si quis in illa commiserit, noverit sibi veniam denegari: ait enim decimo suarum Decretalium: ne quid verò sit, quòd præmissum à nobis forè credatur, omnia Decretalia constituta tam beata recordationis Innocentii quàm omnium Decessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus & Canonum sunt promulgata disciplinis, ita à vestra dilectione custodiri mandamus, ut si quis &c. In specie verò pro genuinis Decretalibus agnoscuntur duæ Epistolæ Clementis I. ad Corinthios scriptæ; Epistolæ S. Cornelii, quæ extant inter opera S. Cypriani; Epistolæ Julii I. quæ referuntur à S. Athanasio Apologia 2. Epistolæ Liberii, quæ à S. Hilario in fragmentis recensentur; Epistola Damasi ad Illyrici Episcopos, quam Theodoretus lib. 1. Hist. Eccles. cap. 22. exscripsit, aliæque ejusdem Pontificis Epistolæ, apud S. Hieronymum extantes; omnes denique Veterum Pontificum Epistolæ, quæ à Sanctis Patribus aut præcis Historiæ Ecclesiasticæ Scriptoribus referuntur, sinceri ipsorum factus sunt Pagi d. l. apud quem in pag. seqq. usque ad 112. & apud Joannem Dovat d. lib. 2. à cap. 23. usque ad cap. 28. de cujuslibet Pontificis priorum quatuor Sæculorum Epistolis strictior inquisitio formatur.

QUÆSTIO XV.

An Canones Apostolorum à Clemente I. Pontifice collecti fuerint; & an canonicâ auctoritate polleant?

Affirmativa in hoc tractat. Praamb. cap. 1. pag. 9. à num. 109. defensa fuit. Huic tamen quoad collectionem Clementis opponunt non pauci, signanter Petrus de Marca de record. Sacerdot. & Imp. lib. 3. cap. 2. §. 2. Dovat Prænot. Canon. lib. 3. cap. 2. num. 3. Franciscus Pagi d. l. pag. 11. num. 5. eò quòd ab Eusebio lib. 3. cap. 15. & D. Hieronymo de Scriptorib. Eccl. inter opera Clementis haud numeretur. At, quia facile accidere potuit, ut in iis exemplaribus Apostolicorum Canonum, quæ Eusebio & D. Hieronymo in conspectum venerunt, nomen Clementis non fuerit adscriptum, præsertim cum ipse non author ipsorum canonum sed tantum collector extiterit; antiqua traditio, quæ Clementem asseverat eorum compilatorem, necdum penitus eversa videtur: præsertim dum cit. Pagi pag. 13. sub num. 7. refert, Stephanum Papam IV. seu potius III. in Synodo Lateranensi Annò 769. statuisse actione 4. non amplius suscipiantur Apostolorum canonum prolata per Clementem, nisi quinquaginta capita, quæ suscepit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia. Profectò antiquam hanc collectionem, & sæculò tertio non posteriorem esse, hi ipsi Authores consentiunt, probantque: quippe cum in Nicæna prima Synodo frequenter allegen-

tur, fuerintque cogniti antiquissimis, tum Græcis, tum Latinis Patribus, longè ante Concilium Iconiense, Anno 258. celebratum, puta Clementi Alexandrino ac Tertulliano circa Annum Christi 195. nec multò post Origeni, uti & Cypriano, qui Anno 255. passus legitur. Unde etiam de illorum auctoritate vix dubium esse poterit: quia præfatus Tertullianus (ut commemorat Dovat d. cap. 2. num. 9.) libr. adversus Præcaram Canones Apostolorum, scilicet, esse nobis per manus traditos; S. Athanasius in Synopsi eos numerat inter hagiographa; Synodus sexta in Trullo Can. 2. jubet eos posthàc firmos, & stabiles permanere. S. Joannes Damascenus lib. 4. de Fide orthod. cap. 14. eos inter Scripturas Sacras recensere videtur; Dionysius Exiguus inferuit initio Codici Canonum Ecclesiæ Romanæ; Isidorus in sua Epistola in capite Canonum, relatâ post cap. placuit 4. Dist. 16. eos propter auctoritatem cæteris Conciliis proponit: quoniam, licet à quibusdam apocryphi dicantur, plures eos recipiunt, & Sancti Patres eorum sententias synodali auctoritate roboraverunt, atque inter canonicas posuerunt constitutiones. Interim quoad numerum Canonum, licet magna etiamnum sit dissensio inter hos & alios Doctores; attamen cit. Pagi d. pag. 13. num. 9. advertit, Joannem An-

Antiochenæ Ecclesiæ Presbyterum ex ordine Scholasticorum dixisse: Sancti Domini Discipuli & Apostoli octoginta quinque Canones Clementis operâ ediderunt; huncque numerum probatum à Synodo Trullana d. can. 2. & à generali Synodo 7. art. 1. admissum à Rhetio in Nomocano-

ne; agnitum passim à Græcis, & de facto post Decretum Gratiani, jussu Gregorii XIII. editum, uti & passim in Conciliorum editionibus servatum. Quamquam à Latinis non nisi quinquaginta, aut sexaginta admitti, notet Dovat d. cap. 2. num. 8.

QUÆSTIO XVI.

Num ante Libros Juris Civilis, qui extant in ejusdem Corpore, præcesserit alia collectio?

Quemadmodum ab ipsis Romani Imperii Aupiciis sub Regibus Leges sat multæ in lucem venerunt; ita etiam non defuit earum collectio, dum, ut meminit Pomponius in l. necessarium 2. §. 2. ff. de Orig. Jur. omnes conscriptæ extant in Libro Sexti Papirii, unius ex principalibus viris; qui liber Jus Civile Papirianum appellabatur, non quia Papirius de suo quidquam ibi adjecit, sed quòd Leges sine ordine latas in unum composuit. Vid. Struvius in Historia Juris cap. 1. §. 5. Sub libera deinde Republica vix alia Legum collectio tam nota & certa est, quàm Legum XII. Tabularum, tum ex Græcorum, præcipuè Lacedæmoniorum, & Atheniensium, Jure, tum ex Legibus Regiis & patriis consuetudinibus excerptarum, de quibus Pomponius in d. l. 2. §. 4. ff. de Orig. Jur. Harum Fragmenta in Corpore Juris post Codicem reposita cernuntur à Gothofredo, qui tamen initio statim lit. a. fatetur, Leges, priore libro contentas, ex Ciceronis libris de Legibus decerptas, verè duodecim tabularum non esse, sed à Cicerone partim inventas, partim ex ipsis Legibus duodecim tabularum interpolatas ex testimonio ipsius Ciceronis lib. 3. de Legib. Hæcque Juris Civilis, publici & privati, fontes extitisse, passim asseverant DD. cum Struvio d. cap. 1. §. 8. laudatque eas non semel Justinianus, speciatim in §. ceterum 3. Inst. de Legit. agnat. success. l. Lege duodecim 14. Cod. de Legit. hereditib. Nov. 22. cap. 2. Successit disputatio fori seu interpretatio Prudentum, de qua Pomponius in cit. l. 2. §. 5. ff. de O. F. his, inquit, Legibus latinis, capit, ut naturaliter evenire solet, ut interpretatio desideraret prudentium auctoritate necessariam esse disputationem fori. Hæc disputatio & hoc jus, quod sine scripto venit, compositum à Prudentibus propria parte aliqua non appellatur, ut cætera partes Juris suis nominibus designantur, sed communi nomine appellatur Jus Civile. Natæ hinc Legis actiones, seu legitimæ actiones, certæque formulæ, juxta quas inter se homines disceptarent, nec, prout vellent, in jure vel iudicio agerent; &, postquam ab Appio Claudio congestæ, & ad formam essent redactæ, ab ejus autem scriba, Cneo Flavio, liber surreptus, ac populo communicatus, liber hic in ejus gratiam appellatus est Jus Civile Flavianum. Pomponius in d. l. 2. §. 6. & 7. Auges: cente postmodum civitate, quia decrant quædam genera agendi, Sextus Aelius alias P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonico-Civilis.

actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur Jus Aelianum. Idem d. §. 7. Dehinc supervenerunt Plebiscita, quæ plebs plebejo Magistratu seu Tribuno plebis interrogante constituebat; Senatusconsulta, quæ Senatus, ad quem propter difficilem exundantis Populi convocationem cura Reipublicæ spectabat, decreverat; Edicta Prætorum, seu Magistratum Romanorum, ab iis quotannis eum in finem proposita, ut scirent cives, quod jus de qua re quisque dicitur esset, dicta alioquin Jus Honorarium, quòd ab honore Prætoris venerat; & demum, summâ rei ad unum devolutâ, Constitutiones Principum, quibus si quid placuit, Legis habebat vigorem. Pompon. d. l. 2. §. 8. 9. 10. 11. Ut aded Papinianus in l. 7. ff. de F. & F. haud immeritò dixerit, Jus Civile esse, quòd ex Legibus, Plebiscitis, Senatusconsultis, decretis Principum, auctoritate prudentum venit; qui etiam in §. 1. illud se crevit à Prætorio, quòd Prætores introduxerunt adjuvandi, vel supplendi, vel corrigendi Juris Civilis gratia propter utilitatem publicam. Ex Cæsaribus, ut refert Struvius in Histor. Jur. cap. 2. §. 6. & seqq. Flavius Vespasianus Imperator omnia Sæcra & Plebiscita ab Urbis exordio in unum collegit. Hadrianus Edicta Prætorum, singulis annis proposita, non tantum ex annalibus fecit perpetua, sed etiam in compendium rededit; quibusdam detrahit, quibusdam ex suo adjecit. Titus Cajus Jctus sub eodem Hadriano & Antonino Pio Institutionum quatuor libros composuit; Aelius Marcianus sub Severo Imperatore scripsit sedecim libros Institutionum; Callistratus libri tres, Julio Paulo præter duos libros Institutionum quinque libri sententiarum receptarum, Domitio Ulpiano regularum liber singularis, & duo Institutionum libri tribuuntur; tacendò Papinianum, Ulpianum, Pomponium, Celsum, Proculum, Modestinum, Venulejum, Alfenum, Scevolam & alios, qui partim quæstionum & responsionum libros, partim libros pandectarum concinnarunt, de quorum vita & scriptis eruditè agunt Bernardinus Rutilius, Joannes Bernardus, & Guilielmus Grotius; tacendò etiam Codices Jctorum Gregorii & Hermogeniani, in quibus constitutiones Imperatorum usque ad Diocletianum erant collectæ. Certè, narrante Struvio d. cap. 2. §. 11. Constantinus M. ejusque liberi novam Juris rationem introduxerunt, ac, eliminatis Etheicorum Legibus,

būs, sanctiones Christianas substituerunt, multa in favorem Religionis, Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum statuendō; quæ & aliæ, à

Constantino usque ad Theodosium juniorem latae, eis autoritate in suum Codicem Theodosianum ann. 438. relatæ fuerunt.

QUÆSTIO XVII.

A quo tempore Jus Justinianum in Germania auctoritatem acceperit?

122 Jus Justinianum à prima sui origine Germanos non obligasse, in hoc cap. 1. n. 180. animadversum est. Germani siquidem ab initio magis non-scripto jure quam scripto regerantur; & sicuti à nulla Gente vel Natione externa unquam (saltem ex majori parte) devicti fuere; ita nullius juris vel Legibus se unquam subdiderunt; & si quas subinde Leges ex provinciis Romani Imperii, quas peragraverant, aut occupaverant, assumpserint, non ex necessitate, sed spontaneâ receptione

123 accidit. Postquam verò Jus Justinianum sæculò 12^{mò} in Italia doceri coeptum, & præprimis in Academia Bononiensi à Jero Irnerio ann. 1128. ex probatorum scriptorum attestatione explicandis Legibus principium est factum, per confluentes illuc ex variis Nationibus Scholares postea in alias provincias, Galliam, Hispaniam, Lusitaniam, Angliam, Hungariam &c. in vectum, atque sæculò 13^{tiò} in Germaniam pedetentim introductum, magis tamen sæculò 14^{to}, erectis tum Academiis, excultum & promotum fuit. Struvius in *Hist. Jur. cap. 6. per tot. signan-*

124 ter §. 39. Ex Scholis deinde manavit ad forum & Dicasteria, suamque vim successivò & tacitò Germanorum consensu in plerisque Germaniæ regionibus accepit, usque dum apertâ Imperatorum tum provocacione ad Leges Civiles scriptas gemeine geschriebene Rechte, vel die Kaiserliche Rechte, vel die weltliche Rechte; tum expressâ sanctione agnitum, 125 & stabilitum est; quò pertinent multifariæ Imperii constitutiones Maximiliani I. & Caroli V. in Ord. Cam. Wormatiæ ann. 1495. §. 1. & tit. 2. §. 12. Ord. Cam. Wormatiæ ann. 1521. tit. 32. §. 2. Rec. Imp. Spiræ ann. 1529. §. 39. & passim.

126 Quòd verò Struvius d. l. §. 4. commemorat, non minùs promotum fuisse Jus Cæsa-

reum per Lutherum & Reformationis Auctores, qui, ut Canonicum Jus supprimerent, Justinianum magis magisque evehere fuerunt conati, verum equidem dicit. Sed ad magnam Lutheri, & ejus sequacium confusionem: quid enim novum hunc Evangelii præconem (si Diis placet) magis dehonestat, nisi quòd lucem suffocaverit, & Corpus Juris Canonici in flammis conjecerit, ut neque ipse, ceu filius tenebrarum, videret Evangelicam veritatem, in SS. Canonibus hinc inde relucentem, neque alii, quos obcæcare voluit, conspicerent? Imò, dum Justinianum Jus promoveri voluit, debuisset ex ipsismet Legibus Codicis & Novellis constitutionibus agnoscere, veræ & antiquæ Ecclesiæ dogmatibus è diametro repugnare, quæ illæ pro veris articulis mundo obtrudere præsumpsit.

Enimverò Justinianus apertè agnoscit, & suspicit cœlibatum clericalem in Nov. 6. cap. 1. §. 2. & seqq. Nov. 22. cap. 42. Nov. 123. cap. 29. Nov. 137. cap. 1. Statum Monachalem l. si quis §. l. monasteria 40. Cod. de Episcop. & Cleric. Nov. 5. Nov. 133. per tot. distinctionem & diversitatem graduum in Sacramento Ordinis l. Presbyteros 6. Cod. de Episcop. & Cleric. psalmodiam & Horas Canonicas l. omnem 42. §. 10. Cod. d. tit. venerationem salutiferæ Crucis, Virginis DEIPARÆ, & aliorum Sanctorum l. quos gratia 1. in pr. Cod. de Off. Praef. Prat. Afr. d. Nov. 5. cap. 1. d. Novell. 123. cap. 32. Nov. 131. cap. 9. Sacramentum Pœnitentiæ, & Sacrosanctum Missæ Sacrificium. Nov. 59. cap. 7. Nov. 109. cap. 2. Novell. 133. cap. 2. Nov. 137. cap. 1. Primum S. Pontificis, & quidquid quatuor Oerumenica Concilia, Nicebum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense statuerunt, ac sancta Mater Ecclesia docet, & tenet l. cognoscere 7. l. inter claras §. 8. Cod. de Summa Trinit.

QUÆSTIO XVIII.

An & qualem in Germania auctoritatem habeant Speculum Saxonicum, & Speculum Suevicum?

130 Speculum Saxonicum esse nihil aliud quam Jus Provinciale Saxonum, ex moribus & Legibus antiquis Saxonum circa initia sæculi XIII. à quodam Repkovio primitus conscriptum, sed, qui opus inceptum haud absolverit, ab Hoyerō Comitē Falckensteinio consummatum, auctor est Struvius in *Hist. Jur. cap. 6. §. 22.* Speculum Suevicum esse Jus Provinciale Suevicum seu Franconicum, diu post Saxonum, incertum quo auctore, compositum, in quod multa ex De-

cretalibus ac Jure Justiniano, quin & Speculo Saxonico, cumulata sunt, docet idem Struv. §. 25. De utroque hoc Speculo existimat hic Auctor d. l. intelligi, quod statuit Carolus IV. in A. B. cap. 5. de Jure Franconico & Saxonico, quòd nempe Elector Saxonicus sit Imperii Vicarius in terris Juris Saxonici, & Comes Palatinus Rheni in terris Juris Franconici. Verùm, tametsi Juri seu Speculo Saxonico sat longo tempore magnam auctoritatem constituisse, idque non solum in Saxonia,

xonia, sed etiam Marchionatu Brandenburgico, Principatu Anthaltino, Holsatia, utraque Lusatia, Silesia, Bohemia, Polonia, Borussia, Transylvania & Dania viguisse, fidem demus 134 cit. Struvio §. 23. Attamen successu temporis extra Saxoniam planè abolitum fuisse, testantur Stryck. in *proem. usus mod. Digest.* & Ludwig ad A. B. tit. 5. §. 2. pag. 573. & seqq. 135 sub lit. z. Imò in ipsa Saxoniam non aliam vim & virtutem authenticam, nisi quatenus usu, consuetudine, & observantia est receptum, illi tribuit Clariss. D. Stephanus Christophorus Harpprecht in *Speculi Suevici non-n/m* 136 *moderno p. 1. cap. 4. §. 4. & 5.* Quod ipsum longè majori titulo iste celeberrimus

Professor asserit, & egregiè demonstrat de Speculo Suevico d. cap. §. 7. & seqq. utpote cujus origo incerta; auctoritas publicè valde dubia; observantia saltem à temporè immemoriali nulla: adeòque, nisi in uno aut altero particulari casu usus ipsius luculenter ostendatur, neutiquam attendenda. Indè 137 que interpretationem A. B. quam in num. 132. Struvius adstruit, laudatus Harpprecht cap. §. 9. planè rejicit, ac per Jus Franconicum & Saxonum non Leges harum provinciarum, sed ipsas terras & regiones, quæ olim ad Ducatum Franconiæ seu Sueviæ & Saxoniam pertinebant, intelligendas indicat.

QUÆSTIO XIX.

De Jure Jus Publicum Ecclesiasticum?

138 DE Jure Publico Civili pro instituti nostri ratione satis egimus in d. tract. præamb. cap. 1. à num. 135. pluraque ex professo dicemus in Jurisprudencia Publica Imperii Romano-Germanici, DEO dante, brevi tempore in lucem proferendâ. An verò etiam detur Jus Publicum Ecclesiasticum? In similibus terminis, quantum meminimus, nunquam à nobis disceptatum est. Quamquam de affirmativa haud ambigendum videatur. Si enim Jus Civile Publicum definiatur ex cit. cap. numer. 128. quod ad statum rei Romanæ spectat, seu quod versatur circa constitutiones, statum Reipublicæ concernentes, ut innotescat, quid in ordine ad illum justum injustumve sit: pari jure Jus Publicum Ecclesiasticum defini poterit, quod ad statum totius & universalis Ecclesiæ spectat, seu quod versatur circa constitutiones, statum publicum Hierarchiæ Ecclesiasticæ concernentes, ut sciatur, quid in illius consideratione con-

veniat aut disconveniat. Et, sicut in Jure Publico Civili potissimum agitur de Imperio Romano-Germanico, ejus Augustissimo Capite, & membris, Circulis, Comitibus, Judiciis &c. ita in Jure Publico Ecclesiastico præcipuè disquirendum erit de Ecclesia Romano-Catholica, illius Summo & visibili in terris Capite Romano Pontifice, nec non variis ejusdem membris, Archi-Episcopis, Episcopis &c. item Conciliis universalibus, & particularibus; variis provinciis, inter se coadunatis; uti & supremis Romanæ Curiæ Tribunalibus.

Quæ quidem materiæ etiam in nostra Jurisprudencia Canonico-Civili in suas divisa sedes opportunè discutuntur; fortè tamen, si benigni Superi longiore sanitate & vitam indulgeant, speciali quadam elaboratione sub titulo: *Jurisprudencia Publica Romano-Catholica* ad Typum ordinabuntur.

QUÆSTIO XX.

Quid sentiendum de Jurisprudencia Criminali?

143 Jurisprudenciam Criminales, qualiter apud Romanos & Germanos antiquiori ævò in more fuerit, historicè exponit D. Struvius in *Hist. Jur. cap. 9. §. 1. & mult. seqq.* Hodie in Imperio Romano-Germanico ea regulatur ad amissim Nemesis Carolinæ, seu Ordinationis criminalis, à Carolo V. in diversis Comitibus, puta Wormatiensibus ann. 1521. Spirensibus anno 1529. Augustanis año. 1530. Statibus propositæ, & demum anno 1532. cum eorum consensu in Comitibus Ratisbonensibus promulgatæ; adeò ut Judices & Assesores juxta eam procedere teneantur, præterquam ubi in uno aut altero loco in aliquibus articulis contraria consuetudo inoleverit, ut patet ex præf. d. Ordinationis ibi: Haben Wir sambt Chur, Fürsten, Fürsten, und Ständen, auß gnädigen geneigtem Willen etlichen gelehrten, trefflichen, erfahnen Personen be-

sohlen / ein Begriff, wie, und welcher Gestalten in peynlichen Sachen und Rechtfertigungen dem Rechten und Billigkeit am gemäßigsten gehandelt werden mag / zu machen / in ein Form zusammen zu ziehen / welches Wir also in Druck zu bringen verschafft haben / das alle und jede unsere und des Reichs Untertanen sich hinfüro in peynlichen Sachen / in Bedenckung der Groß- und Fährlichkeit / denselben jetzt angezeigten Begriff / den gemeinen Sachen / Billigkeit / und löblichen hergebrachten Gebräuchen gemäß halten mögen / wie ein jeglicher ohne Zweifel für sich selbst zu thun geneigt / und deshalb von dem Allmächtigen Belohnung zu empfangen verhofft. Doch wollen Wir durch diese gnädige Erinnerung Chur, Fürsten, Fürsten, und Ständen an ihren alten wohl hergebrachten rechtsmäßig, und billigen Gebräuchen nichts benommen haben.

QUÆSTIO XXI.

Qualem auctoritatem obtineant libri Feudorum?

¹⁴⁶ **I**n eis. hoc tract. cap. 1. num. 182. illis auctoritatem decisivam adstruximus: quia, licet ab hominibus privatis, Consulibus Mediolanensibus, partim ex constitutionibus Imperatorum Conradi II. Henrici III. Lotharii III. Friderici I. partim ex rerum in Lombardia judicatarum præjudiciis prudentumque responsis primitus collecti noscantur: nihilominus eodem quasi tempore, quod Jus Civile ex Academiis Italix in Scholas & foro Germanix tacito usu & praxi subintravit, Jus Feudale Longobardicum, in duobus libris Feudorum, qui extant in Corpore Juris Civilis ad finem, contentum, eadem ratione in Germanix Academiis & judiciis explicari, & recipi cœpit.

¹⁴⁷ Struv. in *Hist. Jur.* cap. 8. §. 28. Et quamvis juxta hunc Auctorem §. 29. alicubi vigeat Jus aliud Feudale, in specie apud Saxones das Sächsische Lehen-Recht, & apud Alemannos das Schwäbische Lehen-Recht: attamen, sicut in *quæst.* 19. à num. 133. & seqq. de Jure seu Speculo Saxonico, multoque magis de Suevico seu Alemannico animadvertimus, utriusque vim & valorem valde dubium esse: pariter de isthoc Jure Feudali adnotare debemus, illius decisivam virtutem planè imbecillum, & ubi in singulis casibus singularis praxis demonstrari nequit, illegalem censerì; ¹⁴⁸ veluti Inclyta nostra Facultas Juridica, defu-

per requisita, anno 1717. die 31. Martii respondit, ac decidit, saltem in Partibus Rheni, Sueviæ, Franconiæ seu Vicariatu Palatino de nullo alio Feudali Jure, quàm Longobardico, à tempore immemoriali per continuum usum & praxim recepto, constare; Jusque Feudale, quod vocatur Alemannicum, à Schiltero, Meischnero, vel alio privato Doctore concinnatum, vim decisivam non habere; & si aliquando fuerit usitatum, post introductum Jus Feudale Longobardicum, exolevisse. Itaque etiam responderunt Facultates Juridicæ aliarum Universitatum, Altorfensis, Coloniensis, Dilingana, Duisburgensis, Erfordensis, Friburgensis, Hallensis, Ingolstadtensis &c. quarum & aliarum responsa per extensum exhibet Clariss. D. Stephanus Christophorus Harpprecht de *Spec. Suevici & præsertim Juris Feudal. Alemann. non-usu mod. part. 2. à pag. 49. Quin & plurimi S. R. I. Electores, Principes, & Status, ab eodem Clariss. J. Cro. pag. 1. & seqq. recensiti, ad præviam consultationem uniformiter pronuntiârunt, suis in provinciis, territoriis, & Diocæsiis, illud Jus Feudale tantum agnosci, & recipi, quod continetur in Corpore Juris Civilis; nisi in quibusdam casibus per specialia statuta eidem certò derogatum fuisse dignoscatur.*

CAPUT II.

De Objecto Jurisprudentiæ Canonico-Civilis, seu de Justitia.

SUMMARI A.

1. Affertur regula 27. *Jur. in 6.* 2. Datur ratio. 3. Subjicitur exceptio. 4. Allegantur exempla. 5. & seqq. Radices seu causa restitutionis juxta Theologos & Juristas indicantur. 8. Ex culpa Theologica oritur obligatio resti-

tuendi in conscientia. 9. Non item ex culpa Juridica extra contractus. 10. & seqq. Imò secundùm Theologos etiam in contractibus. 13. & 14. Nostra reflexio, cum distinctione inter praxim & theoriam.

QUÆSTIO I.

An volenti & consentienti fiat injuria seu injustitia?

¹ Ita quidem dicendum apparet ex *Juris regula 27. in 6.* ibi: *sciens & consentienti non fit injuria neque dolus*; cui non dissonat altera in *ff. numero 145.* ibi: *nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt.*

² Ratio est: quia, ubi nulla concurrat juris violatio, nulla committitur injuria, utpote quæ dicitur ab eo, quod non jure fit, aut quò jus alterius læditur: at, si quis sciat & consentiat, aliquid dici aut fieri, quod alioquin in illius damnum aut præjudicium redundaret, nullam patitur juris sibi competentis violationem: cum jus suum pro illa cir-

cumstantia remisisse, aut dissimulasse censeatur.

Supponendum tamen, eum, qui scit & consentit, habere plenam facultatem, de jure suo disponendi: qui enim non potest liberè de suo jure disponere, nequit etiam illud efficaciter & cum effectu cedere; & sic, cum violatio juris occurrat, injuria abesse non potest.

Quamobrem, si Clericus in sui percussione aut condemnationem, à potestate seculari faciendam; vel maritus in adulterium, à tertio quodam cum sua uxore perpetrandum; vel pupillus in contrectationem rei

Ex quibus causis oriatur obligatio restitutionis? 13

rei suæ, à fure ablatæ vel auferendæ, consentiant, nihilominus injuria locum habet: quia enumeratæ personæ liberâ facultate

de jure, quod in allatis casibus læditur, disponenti carent. Itapassim Theologi & Jurisperiti.

QUÆSTIO II.

Ex quibus causis oriatur obligatio restitutionis?

⁵ Dixi in hoc cap. 2. num. 89. & seq. à Theologis poni tres restitutionis causas, seu, ut illi vocant, radices, nempe injustam acceptionem, rem acceptam, & contractum; quamquàm alii, omisso contractu, tantum priores duos recenseant. Addidi in

⁶ num. 91. à Jurisperitis obligationem restitutionis fundari vel in læsione juris realis, vel juris personalis; & quoad hoc aut propter contractum vel quasi aut propter delictum vel

⁷ quasi. An verò hæc obligatio semper stringat in conscientia, & ante omnem Judicis sententiam? Magnum inter utriusque Facultatis Doctores certamen est. Ego, ut breviter me expediam,

⁸ Adverto I. Obligationem restitutionis stringere in foro conscientix & ante omnem sententiam, quando alterius jus culpâ verè Theologicâ læsum est. In hoc enim omnes conveniunt, Jure Naturali & Divino præceptum esse, ne quis alterum quomodolibet damnificet, & quando per reatum conscientix damnum intulit, illud motu proprio, antequàm à Judice urgeatur, redintegret: non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, aut resarciatur, quod injustè diminutum, destructum, vel deterius factum est.

⁹ Adverto II. In eo Theologos haud convenire, an extra materiam contractus culpa Theologica debeat esse gravis; an levis sufficiat? Plurimos nihilominus obligationem, saltem gravem, restituendi non agnoscere, nisi culpa Theologica gravis intervenerit: ut enim proportio sit inter culpam & obligationem restituendi, inde resultantem, obligatio gravis prærequirit culpam gravem. Ita ex nostris Magnif. P. Pettschacher de *Restit.* pag. 165. Clarissimi DD. P. Paulus Mezzger *Theol. Scholast.* tom. 3. tr. 12. disp. 32. art. 2. n. 2. P. Ludovic. Babenstuber in *Ethica supernatural.* tr. 7. disp. 4. art. 3. §. 2. n. 10. P. Alanus Pfeiffer in *tract. de Restit.* p. 1. disp. 2. art. 2. §. 1.

Adverto III. Multos etiam ex Theologis existimare, ne quidem in materia contractus ex sola culpa juridica subnasci obligationem restitutionis, nisi interveniat culpa gravis Theologica, nominatim citatos P. Babenstuber §. 4. num. 33. & seq. & P. Pfeiffer art. 5. §. 2. aliosque, ab his citatos. Rationem dant: quia obligatio hujusmodi non oritur ex Jure Naturali, utpote ex ejus positivo dictamine determinatio & præscriptio culpæ juridicæ non emanavit; neque ex Jure positivo, cujus Leges, etiam ex culpa levi aut levissima damni resarcitionem præcipientes, sunt quasi-pœnales, aut saltem non aliter, quàm natura Legum pœnalem secumfert, receptæ, & sic ante Judicis sententiam non obligant; neque ex intentione contrahentium, quibus & ipsi Reipublicæ satis prospectum est, quòd, si privatim ad satisfactionem præstandam admoniti sponte satisfacere recusaverint, Judex adiri, atque ab eo ad satisfactionem inviti possint compelli. Quam

¹⁰ sententiam equidem non improbo, nec pro praxi dissuadeo; attamen, an nostris principis verè cohæreat, plurimum ambigo: Leges siquidem positivæ, quæ pœnam non irrogant, sed unicè reparationem damni damnificantibus imponunt, non sunt pœnales; & si præter resarcitionem damni aliquid aliud præstandum velint, id peculiariter per modum pœnæ adjiciunt, ac pœnales mixtæ appellantur; sicque obligationem restituendi ante sententiam Judicis imponunt. Accedit, quòd contrahentibus, & in contractu læsis, neutiquam sufficiat facultas adeundi Judicem: nam plerique lites & judicia abhorrent, aut quia probatio à potiori est difficilis, præsertim quoad culpas juridicas; aut quia ob incertum lites eventum certas expensas facere non imprudenter detrectant. Idcirco, nisi statuatur obligatio conscientix, sat ipsis non est prospectum.

CAPUT III.

De Interpretatione & Regulis Jurisprudentiæ.

SUMMARI A.

1. Statuta ex Jure Communi sunt interpretanda. 2. & seq. Quidquid alii dicant. 4. & seq. Itaque faciendâ interpretatio, ut Jus Commune quàm minimè ladatur. 6. & seq. Disselli-

sur objectio. 8. An statutum, prohibens alienationem certò modò, comprehendat etiam oppugnationem? 9. Refertur opinio negativa. 10. & seqq. Refertur & probatur opinio affirmativa.